



Disputatio juridica inauguralis de appellationibus

<https://hdl.handle.net/1874/343274>

29.

DISPUTATIO JURIDICA
IN AUGURALIS,
DE
APPELLATIONIBUS,

QUAM,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-

ris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimaeque

Facultatis JURIDICAE Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
rite & legitime consequendis,

Eruditorum examini subijcit

CORNELIUS VANDER SCHUER, Traject. ad Mosam.

A. D. 1. Septemb. horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clō lbc xc.

*A Perillustri ac Majorum infansibus
perantiquis Clarissimo*

VIRO,

**D. D. STEPHANO
VANDER DOES,**
Baroni utriusque NOORTWYCK,
LANGEVELT, &c. &c. Domino
de OFFEM ; ex Hollandiæ nobili-
bus ad Equestrem ordinem , & Con-
fessus ejusdem Provinciæ deputato
perpetuo , nec non Consilii delegati
Status Hollandici præfidi , aggerum-
que Schilandæ assessori , ac hoc ipso
tempore ad exercitum fæderati Belgii
delegato , &c. &c. &c.

*Hanc Disputationem Inauguralem, uti & se
ipsum, ea, qua par est, submissione,*

Dedicat ac offert

CORNELIUS vander SCHUER, Auct.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

D E

APPELLATIONIBUS.



Appellationis vox ab appellando dicta diversimode accipitur: appellari enim dicitur debitor qui de solutione interpellatur. *l. 16. §. ult. ff. de fidejuss.* & puella cuius attentatur, pudicitia *l. 15. §. 15. ff. de injur.* Sumitur & pro supplicatione: sed in jure proprie appellare dicimus eum, qui auxilium a superiore adversus inferioris judicis iniquitatem implorat.

§. 1. Est igitur appellatio querela istius qui ab inferioris judicis sententia ad superiorem provocat: dividitur in judicalem & extrajudicalem.

§. 2. Extrajudicialis fit a nominatione ad munus

publicum. *l. 1. Cod. de temp. app. & alio quolibet gravamine. c. 1. c. cum Romana 3. de appell. in 6.*

§. 3. Judicialis est, quæ fit a Sententia definitiva; (ab interlocutoria jure civili non appellatur nisi vim habeat definitiva. *l. 39. in pr. ff. de minor.*) estque omnibus permessa, non tantum iis qui condemnati sunt, verum etiam iis quorum interest. *l. 4. §. 2. ff. de appell.*

§. 4. Unius quoque appellatio alteri prodesse potest, si nempe confortes sint litis *tot. tit. Cod. si unus ex plurib.* eademque sententiâ condemnati. *l. 10. ff. b. t.* requiritur etiam ut defensionis causa eadem fuerit, *§. ult. d. l.* & nemo illorum sententiam latam agnoverit *arg. l. 6. ff. de app.*

§. 5. Tutor Curator & procurator cum libera administratione, officii causa appellare tenentur. *l. 17. Cod. de app. l. 4. §. 2. & l. ff. eod.* mater in causa filii sine mandato admittitur. *l. 1. §. 1. ff. de appell. recip.* maritus in causa uxoris. *l. 21. Cod. de procur. & generaliter qui sine mandato agere possunt, citra mandatum appellant. arg. l. 1. in fine ff. an. per alium caus. app.*

§. 6. Si vero quis temere appellaverit mulctatur, pœna 50 librarum argenti & infamis fit. *l. 19. Cod. b. t. & l. 5. in fin. quor. app. non recip.* Quod jure Canonico mitigatum, quo tantum expensarum nomine tenetur improbus litigator. *C. reprehensibilis 26. extru*

tra de appell. atque illud mores comprobant.

§. 7. Appellare prohibentur Contumaces *l. 1. §. 4. Cod. quor. app. non recip.* debitores fisci. *l. 18. Cod. h. t. Raptores virginum l. unic. in fin. Cod. de rapt. virg. latrones insignes & factionum duces l. 16. ff. h. t. istuc etiam referendi sunt homicidæ venefici, &c. si sua voce crimen Confessi fuerint. l. 2. Cod. quor. app. non recip.*

§. 8. Illorum qui pacto appellationi renunciarunt, provocatio rejicitur. *l. 1. §. 3. ff. a quæ app. non lic.* uti & eorum qui sententiam semel agnoverunt & isti acquieverunt. *l. 5. Cod. de re judic.*

CAPUT II.

In omnibus causis civilibus Majoribus & minoribus regulariter appellandi facultas est : in criminalibus appellatio nunquam denegatur ; Sic in capitali supplicio humanitatis ratione provocatio cuilibet concessa. *l. 6. h. t. ff. l. 30. Cod. eod.*

§. 1. A pæna vero, criminis reo postquam convictus est provocare non permittitur *l. 244. V. §.* quia appellatione sententia judicis iniquitatis arguitur, pæna autem non ex arbitrio judicis imponitur sed autoritate legis. *l. 1. §. 4. ff. ad SCt. turp.* aliud dicendum si modum exceßerit judex in infligenda pæna.

6 DISPUTATIO JURIDICA

§. 2. Dixi *regulariter* : excipitur enim causa quæ dilationem non patitur, ut quando incidit quæstio de annona, de alimentis, de testamento aperiendo. *l. ult. ff. de app. recip. vel non.*

§. 3. Si quis in aliqua lite iterum provocaverit, non licet ei tertio in eadem causa provocatione uti, *l. unic. Cod. ne Lic. in una ead. caus.*

§. 4. Contra venditionem pignoris appellatio non admittitur, *l. ult. §. ult. ff. de app. recip. vel non*, nec contra executionem judicati. *l. 4. ff. de appell. nisi modum excedat.*

§. 5. Sententia ex jurejurando decisorio lata appellatione non retractatur. *l. 12. §. 1. Cod. de reb. cred.* ferendus enim non est ad appellationis veniens auxilium in his, quæ ipse facienda procuravit.

C A P U T III.

SCiendum porro aquibus personis appellare liceat: & appellatur ab omni inferiore iudice ad superiorem (ad parem enim non provocatur) sed tamen non omisso iudice intermedio per saltum ab infimo statim ad summum, alias ad medium iudicem causa remittenda; sic a iudice pedaneo non illico appellatur princeps, sed is, qui ipsum dedit. *l. 1. in pr. ff. quis*
§. a quo

§ ago. quod Canones non observant, qui, omisso iudice intermedio statim ad pontificem summum appellare permittunt. *C. si duobus 7. extra de appell.*

§. 1. Sunt tamen personæ a quibus appellare fas non est: qualis est princeps. *l. 1. §. 1. ff. aquib. app. non lic.* cum ipse sit qui provocaretur, quia maiorem interris non recognoscit. Senatus Romanus *l. 1. §. 2. eod.* Quoniam jus Condendæ legis habet. *l. 9. ff. de legib.* & qui ita a principe datus est ne liceret ab eo provocare *§. 4. d. l.*

§. 2. Ab arbitro compromissario non appellatur sive æqua sive iniqua sit ejus sententia. *l. 27. §. 2. ff. de recept. arb.*

§. 3. Contra sententiam præfecti prætorio appellatio non recipitur, nisi princeps adeatur per supplicationem: quod remedium est extraordinarium, quo is, qui sententia iudicis, à quo non datur appellatio, gravatus est, à principe petit intra biennium, ut contra istam sententiam in integrum restituatur.

§. 4. Differentiæ inter appellationem & supplicationem, ex ipsa definitione patent: quibus addi potest quod appellatio rei judicatæ executionem suspendat. *l. 3. Cod. de app. supplicatio non. auth. quæ suppl. Cod. de prec. imper. offer.*

§. 5. Moribus revisio est remedium extraordinarium, quo sententia ejus à quo appellari non potest, actis

8 DISPUTATIO JURIDICA

actis diligenter perspectis, si æqua sit confirmatur, si iniqua corrigitur à personis à principe deputatis.

CAPUT IV.

Appellatio post sententiam apud acta illius iudicis qui pronunciavit indicatur Clara voce: vel scripto; quod scriptum libellus appellatorius nuncupatur: cujus requisita, ut bene & destincte proponatur, tria veniunt notanda. *l. 1. §. ult. ff. de app.*

§. 1. Primo nomen appellantis expressum; & ideo si plures sint adversus quos pronunciatum est, & quorundam nomina in libello appellatorio expressa, quorundam non, hi soli appellasse videbuntur quorum nomina libello sunt comprehensa.

§. 2. Secundo nomen illius adversus quem appellatur etiam expressum; si vero plures sint adversarii & quorundam nomina libellis non sunt plexa, tamen si una causa sit, contra omnes appellatio recipitur.

§. 3. Tercio consideranda venit sententia à qua appellatur: quæ debet esse valida, nec continere impossibilitatem, alias est ipso jure nulla *l. 3. ff. qua sent. sine app. resc.* & definitiva non dubia (nisi dubia sit petitio) & ideo si condemnatur reus, *solve quod debes*

debes, invalida erit sententia, quia hoc totum controvertitur, an debeat.

§. 4. Sunt autem sententiæ quæ appellatione non indigent, sed ipso jure, sine provocatione rescinduntur, veluti si judex manifesto contra leges judicaverit, *l. 1. §. 2. ff. quæ sent. sin. app. resc.* & si in calculo erraverit *d. l. 1. §. 1.* moribus in omnibus sententiis appellatio necessaria est.

CAPUT V.

Tempora appellationi præscripta in quadruplici sunt differentia: quædam ad interponendam appellationem; quædam ad libellos dimissorios sive apostolos petendos; quædam porro ad introducendam & alia ad prosequendam sive finiendam appellationem. Quæ appellationum fatalia dicuntur.

§. 1. De fatalibus interponendæ appellationis notandum, quod si judicialis sit sive extrajudicialis, intra decem dies hodie interponi debeat (olim biduum erat in propria, triduum in aliena causa *l. 1. §. 5. ff. de app.*) & illud spatium, à die prolatae sententiæ numerandum. *auth. hodie Cod. de app.*

§. 2. Quod nisi fiat sententiam in rem judicatam transire, & appellationem desertam esse probatur. *arg. d. auth. hodie.* Nec ullas ferias sive solennes sive

repentinas provocationum tempora prorogare notissimi juris est, per *l. 1. Cod. de feriis. l. 26. §. 7. ex quib. caus. maj.*

§. 3. Ab appellatione interposita appellantem rebus integris recedere posse, ne justæ pænitudinis humanitas ampetetur, dicitur, *l. 28. Cod. de app.*

§. 4. Tempus petendorum apostolorum est triginta dierum post latam sententiam. *l. 24. Cod. de app.* intra quod spatium petendi sunt a iudice a quo, ut mittantur ad eum qui de appellatione cogniturus est, instanter & sæpius *l. unic. ff. de libell. dimiss.* aliàs appellationi renunciatum videbitur.

§. 5. Introducendæ appellationis tempus est, intra quod appellatio impetrata iudici superiori indicari debet, cujus fatalia pro locorum intervallo variant; & numerantur non a die latæ sententiæ, sed a tempore interpositæ appellationis. *auth. ei qui app. Cod. de temp. app.*

§. 6. In eadem provincia tres conceduntur menses; ad principis Auditorium sex. *l. ult. Cod. de temp. app. pel.* ad ipsum principem annus. *d. l. ult. §. 2.* moribus fere est tempus sex hebdomadarum.

§. 7. Fatalia ad prosequendam appellationem sunt unius anni, si iusta causa intercesserit, biennii. *auth. ei qui appellat. Cod. de temp. app.* idque in omni appellatione procedit. Quod tempus post introductam appellationem computatur.

§. 8.

§. 8. Post illud tempus sententia a quâ appellatum est, si Causa provocationis non sit finita, in rem judicatam transit.

C A P U T VI.

Effectus appellatoinis varii sunt.

§. 1. Appellatio dicto tempore interposita a iudice non potest recusari, sed debet eam recipere, alias tenetur in damnum & expensas litis. Nov. 126. *Cap. 3.*

§. 2. Appellatio reducit rem ad tempus litis contestatæ. arg. *l. 13. Cod. de procur.* ideoque novas probationes adferre potest litigator, si in agendo negotio nimis se allegasse crediderit, dummodo ad novas positiones non pertineant, sed ex illis deducantur, quæ prius propositæ fuerunt, *l. 6. §. 1. §. 2. §. 36. Cod. de appell.*

§. 3. Pecunia quæ soluta est ex priori instantia repeti potest. *l. 11. ff. de appell.*

§. 4. Interposita appellatione nil innovari potest, quoad de appellatione erit pronunciatum: sed omnia in suo statu relinquenda.

§. 5. Appellatione sententia suspenditur & per Consequens executioni mandari nequit. *l. unic. in pr.*

pr. nil. innov. pend. Sive recepta sit appellatio five non: & hoc obtinet æque in criminalibus, quam civilibus; ideoque relegatus libere interim in patria versatur. Ne modum & morem excedat mea dissertatio, hæc de appellationum usu summatim dixisse sufficiat.

COROLLARIA.

I.

IN omni conjunctione locum habet jus adre-
scendi.

II.

*Qui credidit ad refectiorem navis tacitam hypothe-
cam non habet.*

III.

Minores invitati curatores non accipiunt.

IV.

*Partus septimo mense editus in dubio ut legitimus
marito obtrudi potest.*

F I N I S.